

1
2
22
2
2
27
2
27




1672.

18. Schroeter, Ernestus Fredericus: De degradatione.
19. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De immissione iudiciali.
20. Schroeterus, Ernestus Fredericus: Tyrocinium philosophiae iuridicae methodo Justiniana etum tractum.
21. et Schroeter, Ernestus Fredericus: De jure viduarum.
22. et Schroeter, Ernestus Fredericus: De stylo curiae.
2 Suppl.
23. Schroeterus, Ernestus Fredericus: Penata
24. et Simon, Johannes Georgius: De iuris ditione territoriali
statuum imperii sublimi. 1 Suppl.
25. et 26. Simon, Joh. Georg: De curatore dicit absentis, de cuius
vita dubitatur. 2 Suppl.
27. et Simon, Joh. Georg: Fura pupillarum. 2 Suppl.
28. Sommer, Christophorus: De poenis tritorum
29. Struckius, Johannes: obsequium ejusque affinia jura.

30. Strauchius, Johannes: De contumacia -
31. Strauchius, Johannes: De centesimis usuris.
32. a) e Tillemannus, Burchardus Neurius: De contractibus
 ² societas. 3. Exempl. 1672, 1725.

Handwritten scribble





Prænum. 4

DEO DIRIGENTE!
DISSERTATIONEM
DE

STYLO CURIAE,

PERMISSU
INCLUTI ICTORUM ORDINIS,
PRÆSIDE

Magnifico, Nobilissimo & Excellentissimo

DN. ERNESTO FRIDERICO Schrötern/

Hereditario in Wickerstädt/

Icto & Antecessore Celeberrimo, Consiliario Saxonico,

Curiae Provincialis, Facultatis Juridicae ac Scabinatus

Asessore gravissimo,

DN. PRÆCEPTORE ac PATRONO suo

pio honoris cultu devenerando,

PUBLICAE DISQUISITIONI

subjicit

CHRISTOPHORUS REICHARDUS, Cizens. Misn.

AUTOR.

IN AUDITORIO ICTORVM

Ad d. XXVII. Mart. ANNO M DC LXXII.

J E N Æ,

Recusa à JEREMIA NEPIO clo 100 LXXXIIX.



P 462

167222 7



ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DN. VITO LUDOVICO
à *Sekendorff/*

in Oberzenna/ Gumberda/ Gersa und Madelstein/
TOPARCHÆ &c. Serenissimi & Potentissimi Electoris Sa-
xonix Consiliario Intimo; nec non Reverendissimi ac Serenis-
simi Principis ac Domini, DN. MAURITII, &c. Consiliario
Intimo & Cancellario Eminentissimo, ut & Venerabilis
Protosynedrii Cizæ Præsidi Gravis-
simo &c.

Dn. Patrono & Promotori Maximo.

UT ET
V I R O
MAGNIFICO, NOBILISSIMO ATQUE
EXCELLENTISSIMO

DN. SALOMONI ZAPFFIO,
Jcto celeberrimo, Reverendissimo ac Sere-
nissimo Domino DN. MAURITIO, Duci Saxonix &c.
à Consiliis Aulicis & Ecclesiasti-
cis &c.

Dn. Patrono ac Promotori Summè
Colendo.

ILLUSTRIS, GENEROSISSIME, AC
MAGNIFICI DOMINI.

VOS Patriæ Proceres primis velut verbis compello,
Vestris Nominibus hoc tenue sacrum esse volens. Sed
altius rem exputans, nebulas Soli, siderum Principi,
ingratas video; hinc & umbram hanc industriæ ra-
dians Virtutis Vestræ jubar pro tenebris habuerit & tædio. Id
tamen me solatur, æstu fervidò terræ caligines elici, quare vir-
tutis nebulam VOBIS, PATRIÆ LUMINA, tractus velut of-
ferre volui. TUAM quippe, ILLUSTRIS à SERENIS-
SIMI ingenii eminentiam ac magna Civilis Prudentiæ
mysteria, si Germania in TE, ac ulterior miratur Orbis, nec
ea hic submissè Venerari mihi fuerit piaculo. Parco verbis,
quibus quippe Excelsi in TE animi non attingo fastigium, ne
dicam favorem, quò erga literas, in præclaram TUI gloriam,
propendis. Quibus verò TE, MAGNIFICE ZAPFFI, laudi-
bus eveham, quas non longè superans, è summo velut despi-
cias? Ingenii honorumq; amplitudinem ipsa in TE vix capit
etas. Sacro lateri, SERENISSIMI MAURITII, Patriæ Pa-
tris, admotus, annos infra honores computas, tanto dignus
munere, non ex capitis, sed animi canà senectute. Id saltim
à VOBIS, ILLUSTRIS AC MAGNIFICE DOMINI, impe-
trem, dum Virtutes Vestras laudibus assequi non possum, ut te-
nue hoc, VOBIS devotè sacratum, serenà mentis accipiatis
benevolentia, in imis favoris Vestri tabulis me adscripto. Pro
quo insigni beneficio, DEO rependente, VESTRA NOMINA
felicitatis ac gloriæ aternitate stent atque floreat.

V.V. ILLUST. GENEROSITAT.
AC MAGNIFICENTIE.

Humilimus

CHRISTOPHORUS REICHARDUS.

A 2

I. N.



I. N. D. N. J. C.

PROOEMIUM.



Ultum sanè refert,
quo modo rem tuam geras;
Conueniens enim actionis
ordo, dimidia videtur actio,
imò ipsa substantia, *Magnif.*
Dn. Praeses, Patronus ac
Præceptor atatem devene-
randus, Comment. Feud. 1.

F. 26. lit. f. quod nec naturæ ipsi, nec homini pruden-
ter agenti incognitum. Egregia in natura re-
rum cernitur structura, nec homo, ceu microcosmus,
tali destituitur. Respublicas contemplanti dulcis
ubique se sistit harmonia, ut tanquam in horologiis
quælibet pars tacito nisu suas partes peragat, *v. Sa-*
ued. Symbol. Polit. 57. & 61. Sic Senatui, Magi-
stratibus & Judiciis potioribus Reipubl. partibus,
Aristot. 4. Pol. 14. sua quasi solennia sunt & ordo,
maximè tamen iudiciis; hîc quippe non semper de
plano & sine strepitu proceditur, *c. 2. Clement. de*
V. S. sed lites solenni quoque decurrunt tramite,
ita

ita ut verba & actus litigantium congruant Stylo
Curiae, qui lex & norma causarum habetur. *Gail. 1.*
obs. Pr. 1. pr. Confusa enim & arbitraria partium
in judiciis actio, quid demum, nisi sinuosos difficul-
tatum mæandros & desperati Juris abortus produ-
cit? *v. L. 4. C. de Sent. & Interloc. & L. 27. C. de*
Appell. & Conf. Dn. Carpzov. Proc. Jur. T. 1. pr.
Ast Curialia, & Judiciorum solennia ritè servata fa-
cilem causæ præbent exitum *L. 2. C. de Sent. ex pe-*
ricul. recitand. & L. 7. C. de Sentent. & interl. ar-
gum. t. t. C. de Ord. Judicior. & t. t. C. de Ordin.
Cognit. Nec melius Judicia florent & Justitia, quàm
si Judex congruè & Actor Reusque suum munus
obeant, in Stylum haud impingentes Curiae, quem
pro materia speciminis Academici, magis licèt fo-
rensem requirat, seligendum duxi, quò & inde for-
san planiora ad forum aliquando mihi faciam vesti-
gia. Naturæ siquidem nostræ Jurisprudentiæ, con-
templationis limites ultra tendens, in actionem se-
se exerit, sui que cultores intra subsellia speculativa
latere recusat. Sapiunt enim leges, cùm practican-
tur, *Anton. Corat. Tract. de Com. Opin. præfat.*
n. 52. Magnif. Dn. Præses, in tr. de Homic. Pro-
cem. Ut igitur opus hoc industriæ, sub prælaudati
DN. SCHRÖTERI præclaro felix sit præsi-
dio, Divini Numinis supplex clementiam obtestor,
obsecro.

CAPUT I.

Onomatologiam exhibet.

IN vestibulo nonnunquam iustramus aedificii structuram, sicut ex nominis quasi limine natura rei cognoscitur. Nam & in Juris argumento vocis utimur ministerio *Cels. L. 7. §. 2. D. de Suppellect. legat. t. t. D. & C. n. V. S.* Inde ne in rei indagine cespitem, nominis ratio prius mihi erit exputanda.

II. Vox *Stylus* cunas quasi suas debet Græciæ, ubi *σῦλ* idem ac columna; Per Metaphoram denotat quoque graphium, quò in tabulis vel codicillis scribitur. Ceteras præter acceptiones Metonymicè usurpatur pro ipsâ scripturæ vel sermonis actionis structurâ & consuetudine; quò sub significato hic nostrum Stylum facimus. *Gail. citat. i. obs. i. num. i. & cap. 13. de Pignorat.*

III. Curia, à Cura juxta Philologos descendens, locum, ubi curæ publicæ tractantur, vel ut *Cic. de Senectut. vocat*, sedem ac templum consilii publici significat, tam circa sacras, quàm res profanas: Populi quoque partes, per quas Romulus olim curam publicam expediebat, Curia dicebantur. *v. L. 1. §. 2. π. de O. 7.* Hinc & in Municipiis Romanorum, Curia nihil aliud, quàm corpus eorum, qui consiliis præerant publicis, Curiales & Decuriones inde nuncupati. *vid. Perez. ad tit. C. de Decurion. & fil. Sc. lib. 10. num. 1. 2. Loecam. ad §. ult. J. de Nupt. unde oblatio Curia primus legitimandi modus d. §. ult. J. de Nupt. Nov. 89. cap. 2.* Et hæc originaria quasi sunt Curia significata: Post & id nominis indigitare cepit tribunalia seu loca Justitiæ, Principumque Cancellarias, quâ in notione instituto meo convenit. Omnis verò Stylum Curia perscribere, mihi non est animus, contentus eò, qui locum sibi potissimum vindicat in Judiciis.

CAP.

CAP. II.
Rei Originem tractat & Defini-
tionem.

I. **R**erum origo cognoscenti lumen affert, in natura illarum indaganda, quò ergo & Stylus noster eò penitus exploretur, ab ipsâ ejus incipiemus origine, quâ benè perspecta facilior fuerit definitio.

II. Ut autem in ceteris hominum actibus, ex Taciti effato de *M. Germ.* plus interdum mores valent, quàm leges, vel vim harum sumunt, ipsis haud positis; Sic & in Judiciis Stylus Curia non rarò legis fungitur officio, vel legem, quæ non erat, faciendo, vel facta derogando; eadem quippe Styli hujus potestas, quæ consuetudinis. *v. l. 32. & 37. D. de LL.* In causis enim judiciariis non semper præscriptus procedendi datur ordo, sed multa quoque fori observantiæ tribuuntur & Stylo Curia. *v. L. 3. §. fin. II. de Testib. L. 12. §. 2. D. de Judic. Gail. cit. c. 13. de Pignor. Schneidw. ad Inst. de Action. §. 1. n. 100.* Hinc igitur illius deducenda videtur origo; non enim ex aliquâ lege fluit positivâ, sed instar consuetudinis moribus inducitur, licet & ea, quæ ex processu præscripto aguntur, communiter sub Stylo vendantur Curia.

III. Styli nostri origine nunc cognitâ, de *Definitione* videtur agendum, ne tantum unde sit, sed quid sit, quoque discatur: Sic autem definire illum forsan absurdam non fuerit: *Stylus Curia est norma Jurisdictionis & Processus, usu recepta, vel præscripta, in foro & Curia.* Hanc ita positam definitionem in suis partibus examinare par erit, an definito conveniat, suis absoluta requisitis.

IV. Generis loco fiat Norma, quæ instar regulæ, legis aut consuetudinis actionibus hominum moralibus præfixa, quid, & quomodo agant, determinat: normæ autem vox, præ ceteris jam adductis, placuit, legi utpote ac consuetudini æqualis, quibus de participare videtur noster Stylus Curia. Differentiam quærenti de-

deprehendere licet, in verbis definitionis reliquis, ubi cernitur ob-
jectum & causa cum subjecto ipso, à quibus petitur aliàs diffe-
rentia. Hinc differt à Consuetudine ratione objecti; Stylus enim
ut plurimum modum procedendi ceterosque iudicii tangit actus,
quod secus est in consuetudine, quæ quoad probationem insuper
ab illo discrepat, nisi contra Jus inducatur. *v. Tusch. Concl. Pr. 692.*
& infr. c. 3. n. 2. Differt pariter à lege, quæ actus quoque non iudi-
ciales, causæque decisionem, sicut & consuetudo, determinat. Est
ergò Stylus noster norma & Jurisdictionis & Processus Curialis,
digressum faciens à ceteris in Reip. actibus, eorumque norma &
regulis, à subjecto autem nomen terminorumque suos sortitur can-
cellos, utpote fori & Curia non egrediens; reliqua distinctionem ex
parte suppeditant, *num. seq.* expediendam.

V. Distingui poterit Stylus noster (1) ratione Causæ, consue-
tudinis scil. & legis in receptum & præscriptum, utut illi propriè ma-
gis nomen hoc congruat. Nam ea Styli Curia maximè putantur,
quæ præter aut contra Jus introduxit, usus forensis. *Gail. 1. Obs.*
65. n. 7. L. 2. C. Quemadm. testam. aperiunt. Vulgariter tamen & illa
Stylus exigere dicitur, de quibus lex expresse posita v. g. ut temerè
litigans, & in causa victus solvat expensas, est Styli Curia, nec ta-
men LL. expressæ hic deficiunt. *v. l. 13. C. de Judic. Ord. Proc. Sax.*
rit 36. §. So wollen. & Constit. Elect. 31. p. 1. ibiq. Carpz. à Def. 1. usq.
ad ultim. (2) ratione subjecti: Ubi alius est Stylus Curia Feudalis,
alius Cancellaria seu Regiminis Principum, alius Consistorialis, a-
lius denique forensis seu judicialis, quos omnes ex debito tractare
nec instituti nec ingenii mei fuerit, industriam potissimum in illo
positam, qui fori lares quasi custodit. De ceteris prudenter & ex
praxi lectorem fatis instruet *ILLUSTRIS à SEKRETDONN /*
Prudentia Civilis Oraculum; in Deutschen Fürsten-Staat / part. 2. c. 6.
cap. 12. part. 3. Regal. 4. Da. Carpzov. Jurisprud. Consistor.
Lib. III. Titul. 2. Definit. potis.

fm. 19.

CAP.

diciali: Quod illum à Superiori pendentem concernit, statim ac inducitur, haud dubie habetur pro recepto, sive præter sive contra jus fuerit; Superior quippe ponere legesque tollere potest. *v. Cardin. Tusch. Tom. 7. Concl. 692. num. 1. seq.* De illo quem iudex inferior facit, major erit difficultas: Modici quidem præjudicii, Stylum circa processus accidentalia *v. c.* citationem aliquando insinuari per Notarium &c. facilius introducere poterit, quam qui contra jus & altioris fuerit momenti: Stylus enim à iudice, qui legis sancienda non capax, contra Jus inductus non valet, nisi vel Princeps, vel populus, aut Consuetudo eum probaverit. Usu iudicii qui nascitur, nec certos in iure præfixos forsan agnoscit actus: Dicunt, quod consuetudo duobus in iudicio actibus fiat. *Suarez. Thesaur. recept. sentent. voc. Consuetud. num. 278.* Hoc tamen ne quis hic concedat simpliciter, rationis erit, nisi in illis, quæ magis ad Processus ordinem, quam causæ respiciunt decisionem; siquidem hic major actuum temporisque quantitas requiritur: Imò ejusmodi controversiæ non certo ex iure, sed iudicis arbitrio videntur componendæ. *Magnif. Dn. Pras. Not. ad Suthol. D. 1. Aph. 92.* De Jure Saxonico ad consuetudinem videntur requiri 31. anni 6. Septimanæ. 3. dies. *Magnif. Dn. Bechm. Patronus omni honoris cultu mihi colendus. Exot. π. III. num. 64.* quod tamen tempus ad Styli nostri partem nimis longum foret. Styli porro probatio, pro ejus diversitate, diversa: sola iudicis informatio sufficit in eo, qui modum Processus spectat; contra Jus verò & circa causæ decisionem inductus, ut consuetudo, quod sit præscriptus, vocatis partibus videtur probandus. *Conf. Tusch. d. Concl.*

III. Hæc de causa, pro instituto, dixisse sufficiat, calamo latius in messem objecti demittendo: Cum ergo Stylus noster sit aliqua norma *v. c. 2. n. 3.* necessum est, sit aliquid, circa quod agat, seu quod ad illam applicetur, quod nobis dicetur objectum morale, quia ejus tractatio non Physica, sed moralis fuerit: Nostri autem objecti, vi supra positæ definitionis, duo membra statuo, jurisdictionem scil. & Processum, qui iterum vel in actione, vel scriptura, vel vivâ voce cernitur; Ea verò, quæ in aliis Curiis dirigit, relinquimus, nisi ansa forsan pedem figat calami *v. num. 3. cap. 1. & num. ult. cap. 2.*

IV. Cir-

IV. Circa Jurisdictionem Curia Stylus ita versatur, ut tribuat aliquando talem, tollatque e contrario: Consuetudo enim, cujus instar est Stylus, dat Jurisdictionem *c. Dilect. X. de Arbitr. verb. quia tamen Sc. c. fin. X. de foro Compet. verb. final.* Hoc autem inde, quia consuetudo est pro lege *d. c. Dilect.* quæ dat & aufert jus judicii. Hinc jurisdictio in primâ interdum instantiâ competit Judicio, vi Styli Curia, sine quô ista, non nisi in secunda fuisset instantiâ, v. g. Camera Imperialis jure regulari aliâs primâ instantiâ Jurisdictionem non exercet, Stylo tamen Curia dictæ instantiæ exercitium in quibusdam casibus debet. *v. Gail. cit. 1. Obs. 3. n. 1.* Sic à Stylo Curia fluit, ut quis ob continentiam causæ coram mediato conveniri queat iudice, neglecto instantiæ primæ beneficio *l. 10. C. de Judic. contra c. pervenit. c. 11. q. 1. Gail. 1. Obs. 32.* Sic Stylus Curia vult, ne hodie Jurisdictio spontè prorogari queat, utpote patrimonio nunc annumerari solita, contra *L. 18. π. de Jurisd. l. 3. C. b. t. Dn. Struv. S. I. C. Exerc. IV. §. 59. Gail. 1. observ. 40.* Quare & Clerico Stylus Curia obstat, ne fori sui privilegio renunciare possit. *C. Si Diligenti X. de foro Compet. Perez. ad C. de Episc. Sc. n. 12.* Sic Stylus requirit, ne iudicem quis dedignetur, licet aliâs incompetentem, quem ipse agendo observavit. *L. 14. ex Auth. seq. C. de Sentent. Sc. Interloc.* Propter Styllum quoque Curia miserabiles personæ reos statim ad Principem litis ergo vocare possunt, cum illæ tamen contra suis non avocandæ sint judiciis *t. t. C. Quand. Princeps inter Pupillos Sc. ibiq. Perez.* utut id non tam in Camerâ, quàm Imperii Statibus hodie procedat. *Magn. Dn. Bechm. Exot. π. XI. n. 55.* Sic Stylo Curia videtur adscribendum, quod civitates quædam ad aliam, se nec Jurisdictione, nec aliâs Superiorem appellarint. *Dav. Mev. ad J. Lubec. prel. q. 2.* quamvis dictæ appellationes magis consilii speciem, quam appellationis habuisse videantur. *Magn. Dn. Bechm. T. II. P. II. Exot. XII. n. 109 110.* Stylo Curia refertur in acceptis, jure Sax. simultaneè investitos coram domino Feudi in omnibus conveniri posse. *Magn. Dn. Bechm. Comm. ad π. Tit. de Jurisd. Num. 48. Sc. Tit. de jud. n. 26. Exot. Feud. III. n. 17. Sc. IV. n. 61.* Ut alicui alterius in territorio competat specialis Centena Jurisdictio, Stylo Curia videtur inductum, *Illustris a Gessendorff laudat. Tract. p. 2. pag. mibi 251.* Ne Foro suo interdum quis renunciaret, item

Stylus velle videtur. *Gail. 1. Obs. 40. n. 8.* Remissio Reorum ex Stylo Curiae facta arbitraria, & ad literas mutui compassus saltim permissiva. *Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 110. num. 10. Dn. Richt. Dec. 15. Dn. Struv. S. J. C. Exerc. 9. §. 45. & Exercit. 49. §. 12.* Limitationes, praeter allegatos interpretes, vide in *Noviss. Elect. Sax. gravaminum resolutione, part. von Justicien, Sachen §. 45. Perez ad Tit. C. ubi de crimin. num. 3.* Imo Stylus noster facit, ut in propria quoque causa quis Judex esse possit. *C. 2. in fin. de Pœn. in 6to Contra Tit. C. ne quis in propria causa &c.* Unde mos ille, quod Principes coram suis Consiliariis conveniantur, qui tanquam pars corporis illius *l. 5. pr. C. ad leg. Jul. Majestatis C. 24. §. 1. Aur. B.* non ita multum distant à Judice in causa propria verò tamen *Perez. ad d. 1. C. ne quis in sua &c. num. 3.* & è contrario Principes Civitates suas non rarò eadem de ratione conveniunt in suis Curiiis *vid. Gail. 1. Obs. 1. num. 18.* Quare & Judici videtur permissum, ut injuriam, sibi ut Judici illatam, vindicare possit, sit modo notoria. *Gail. 1. Obs. 39.* Tanta ergò Styli nostri est potestas, ut summa etiam capita submittat aliquando judicis arbitrio; hinc coram Comite Palatin. juxta *cap. 5. §. ult. A. B.* Imperator causis impetitus tenetur respondere, quod ab initio spontaneæ submissionis post in consuetudinem denegeravit & Stylum Curiae confirmante *Aur. B. d. cap. 5. §. vid. Magnif. Dn. Strauch. Salana nostra Papihianus Exot. Jurispubl. 3. num. 6.* Inde quoque *Serenif. Sax. Elect. Curiae Lipsiensi* hoc modo se submittit. *Spreng. Jurisp. P. pag. 18.* Jus dandi Tutores de Jure Civili esse Jurisdictionis extraordinariae, patet *ex l. 6. §. 1. π. de Tut.* Ex Stylo tamen Curiae cuius hodie magistratui jure Ordinario competit. *Ludw. Exerc. Instit. 3. §. 5. lit. C.* Merum imperium quod fluat non ex jure Magistratus, sed speciali concessione communis Interpetum est sententia. *Magn. Dn. Struv. S. J. C. Exerc. 4. §. 75. Conf. b. l. Magnif. Dn. Bechm. Comment. π. Exerc. 5. num. 60. 61. seq.* videtur tamen & illi suam naturam detraxisse noster Stylus Curiae. *Perez. ad Tit. C. de Jurisd. num. 23.* Quamvis alii dissentiant. *Struv. d. Exercit. §. 81.* Homicidii tandem in confinio commissi utrumque Dominum Stylus facit hodie judicem: quamvis non omnibus eadem hic sententia. *vid. Magn. Dn. Pres. d. Tr. d. Homicid. Q. 20. Dn. Carpzov. Prax.*

prax. Crim. p. 3. q. 110. n. 34. Hæc forsan de Stylo vulgariter maximè sumto, circa primum objecti ejus membrum videbantur afferenda.

V. Nunc & ad alterum transibimus, Processum videlicet ipsum, qui se lustrandum offert in suo Stylo, vel respectu personarum, vel modi procedendi. Par autem fuerit dicere *juxta* §. *ult. Inst. de J. N. G. & Cic.* prius de personis. Personæ autem sunt vel Principales, vel Accessoriæ, eæque aut Patrocinantæ aut Ministrantæ; de singulis singulatim agetur. Judex, ceu judicii caput & Præses meritò ante reliquas in Stylo Curix examinetur. Palàm est, olim fuisse Judices pedaneos, qui sub pedaneis quasi subselliis locati nudam causæ notionem habebant, juxta formul. præsc. judicantes, ab illis etiam, qui mandatâ utebantur jurisdictione, dispares. *v. Tit. C. de Pedan. Judic.* Hunc verò judices dandi modum Stylus abrogavit, nec nisi admodum tortis capillis his hodie compares Commissarios, qui rectius Delegati quàm Pedanei vocantur Judices. *Carpzov. Proc. I. Tit. 2. Art. 1. num. 25. & Art. 3. num. 6.* ubi vocat Extraordinarios. *Perez. ad Tit. C. de Ped. Jud. N. 1. Dn. Struv. S. I. C. Exerc. 4. §. 44.* De jure octodecim annis haud inferior Judex esse potest. *ex l. 57. π. de Re Jud.* quamvis pro diversitate temporum & Interpretum diversæ sint opiniones, Cujac. præsertim, Constant Harmenopuli Giphanii &c. quas *vide apud Rittersb. Expos. Novell. Method. part. 9. C. 6. num. 44. 45. &c.* Stylus tamen noster hodie vix Minorem admiserit pro judice, argumento *cap. 41. X. de offic. & Potest. Jud. Deleg.* Cui Deo velut Inspectore, causas trutinanti *l. 14. pr. C. de Jud.* prudentia rerumque praxis videtur necessaria *Nov. 82. princ.* cujus tamen ætas illa capax non videtur. *Arist. 1. Etb. 3. v. tamen Dn. Bechm. hanc Q. per rationes dubitandi & decidendi tractantem Tom. 2. p. 2. Exot. 1. num. 8. seqq.* Juris Civilis moribus fœminæ judices esse nequeunt. *l. 12. §. 2. π. de Jud.* quia receptum est, ut civilibus officiis non fungantur. *d. l.* Nec tamen hoc intactum Stylus Fori reliquit, per quem & fœminæ Jurisdictione utuntur, dum aut Consuetudo ipsis talem tribuit, aut in Feudum fœmineum successio, *Rittersb. Expos. Nov. part. 9. cap. 6. num. 56.*

Cæcus num Judex esse possit, inter Interpretes non una est sententia, propter *L. 6. π. de Jud. & L. 1. §. 4. π. de Postul.* Haud dubiè tamen Stylus noster ejusmodi hodiè averfatur Judicem, cum non in mentis tantum, sed & visus acie Judicis ponatur officium. *Rittersh. Expos. Novell. d. P. & C. num. 60. 61. seq.* Ne quis Judex simul sit & Advocatus, aut testis in una causa lex & Stylus prohibet. *L. 6. C. de Postul. Carpz. Tit. 13. art. 5.* Rectè de Processu tamen ab aliis coram se gesto deponit. *v. Carpz. d. l. n. 65. & Decis. Elect. 3.*

VI. Hæc pro instituto de Stylo nostro circa Judicem, nunc & de Actore videbimus, qui sive suo sive alterius nomine agat, vi Styli forensis legitimam personam standi in judicio habeat necessum, hinc nec pupillus sine Tutore, nec sine Curatore minor, prodigus, mutus & surdus litem legitimè movent. *L. 1. C. qui legitimam personam stand. & c. L. 1. C. Qui petant Tutores vel Cur. §. 2. J. de Curat.* Imperii verò Bannitus ne cum Curatore talem personam habet. *Gail. P. P. II. c. 12. n. 1.* An & banno provinciali damnato Stylus noster forum commune interdicit, quæstionis est? Sententia in pœnalibus non videtur plura complecti, quam quæ sub Judicis erant morali potentiâ: argumento *L. fin. De Jurisd. omn. Judic.* hinc tale bannum jura saltim loci ejusque forum, non autem Jura Imperii forumque commune adimit. *Conf. Schneid. ad tit. J. Quib. mod. Jus Patr. potest. Solv. n. 11. 12. seq.* Quæritur insuper, num Excommunicatus agendo stare in judicio possit? *Gail. I. P. P. c. 1. n. 26. & 2. P. P. c. 12. n. 22. seq. cum ibi adductis Interpret.* non tantum hunc Imperii Bannito comparat, sed idem ferè Jus in utroque asserit, præsentem quæstionem negativè decidens, hæc maxime ratione, quòd Excommunicatio vocetur Bannum Ecclesiæ, ac per hoc æquè quis membrum desinat esse Eccles. quàm per illud membrum Imperii. Ast quia omnis comparatio suis saltim procedit terminis, hinc nec in hac quæstione termini Ecclesiæ cum Imperialibus confundendi, ne sacra profanis misceantur. Decisionis ratio videtur in hoc posita, num Excommunicatus, quâ talis, Jus civitatis amittat? Quod cum nemo facile concesserit, nisi brachium inter seculare ac Ecclesiasticum distinguere nolit, nec tali Jus in foro Civili agendi negabit. *Conf. in alio casu, huc tamen faciente,*

cientē, Perez. ad t. i. C. qui test. fac. poss. n. 24. & Ludov. Exerc. Inst. VII. §. 4. Lit. J. fin. Mulieres de jure Civili pro se suisque necessariis recte agunt. L. 4. C. de Proc. L. 4. §. 9. C. de his qui accusare non possunt, dedignatur verò Stylus Saxon. mulierem sine Curatore, vel pro se ad litem venturam. v. Constit. Sax. p. 2. c. 15. Utut aliàs judicium tres citra personas, Actorem, Judicem ac Reum non constitui possit. c. 10. X. de V. S. nihilominus Processus Inquisitorius, Stylo sic ferente, famam denunciante pro Actore recipit. c. 24. X. de Accusat. Inter Patrem filiumque familias lis nulla jure intercedit L. 4. D. de Judic. Si tamen Pater gravem filio fecerit injuriam, nec hanc justè persequendam filio præsens interdicit Stylus. Dn. Bechm. Not. Theor. Pract. ad Schnob. solitâ industriâ publicè quondam dictatis. Exerc. XXIV. tb. 7. num. 7. Hæc de ipsa Actoris personâ, reliqua in Stylo Processus erunt obviam.

VII. Reus, qui & fugitivus in jure L. 13. §. 3. C. de Judic. dicitur: pari cum Actore standi legalitate fori Sacranium accedere debet, citatus tamen tanquam legitimus contradictor auditur: Propter Stylum enim judicialem citatio reo personam quasi standi legitimam induit, unde Bannitus, licet non ut Actor, tamen ut reus admittitur. Gail. d. l. §. c. n. 15. 16. seq. Num autem Bannitus ex L. diffam. C. de Ingen. manum. citatus, eò quòd citetur, legitimam standi personam habeat, dubitationis est? Citatio quidem verè talis cadit in subditum, hinc & invitum Constituens reum, ut dicunt, Necessarium, quem Stylus Curia, banno non obstante, ex modò dictis admittit. In nostro verò casu talis non est citatio, sed nuda ad agendum provocatio, reum, ut vocant, Voluntarium faciens, qui eventualiter pro Actore & consequenter illegitima personâ fuerit, amisso per bannum omni Jure agendi. Gail. d. l. §. c. n. 30. Quos porro Stylus ob ætatis mentisve vitium à comuni, propter Sexum verò à saxon. foro, ceu actores arcet, Curatore non addito, eosdem & ut reos, hoc minus interveniente, prohibet. V. Const. 15. p. 1. 2.

VIII. De personis huc usque actum, quæ principaliter litem instruunt, illas ergò contemplabimur, quibus absque judicium substitit quidem, non tamen semper adeò peragitur. Sunt autem illæ vel Advocati, Procuratores, Actores vel Executores, & ju-

& jurati nuncii &c. de quibus quid velit Stylus Curiae dicetur. Cum autem laudabile vitaeque hominum necessarium sit Advocatorum officium. *L. 4. C. de Advoc. divers. Jud.* Nemo togatae hujus militiae capax censetur, nisi qui juris, per statutum tempus continuati, peritiâ instructus fuerit, jubente sic Stylo Curiae *L. II. C. de Advoc. Divers. Jud. & L. 3. §. 4. C. de Advoc. Divers. Jud. Ord. Proc. Sax. t. 3. §. ult.* Ne verò hoc laudabili officio abutantur Advocati, Juramento Calumniae de jure Civili adstringuntur. *L. 14. §. 1. C. de Judic.* quod tamen, an benè, nescio, Stylus abrogavit, quamvis in majoribus Judiciis sub delati hujus muneris initiò, Advocati adhuc jurare soleant, *Schultz. Synops. J. tit. de Poena temerè litig. lit. b.* Lites sine expensis ægrè admodum serpunt, *argum. tt. C. de Sportul. & Sumt. &c.* iniquum autem fuerit, bonam causam perdere æris angustiâ, Advocatis, abjectorum instar, ad turpe compendium stipemque deformem hanc occasionem arripientibus. *L. 6. §. 5. C. de postul. v. pium monitum Sereniss. Elect. Saxon. in Resol. Gravam. tit. von Justicien Sachen. §. 33.* Unde quibusdam in Judiciis Stylus introduxit Advocatos pauperum, qui, praestitò à parte paupertatis juramentò de bonis liti perseguendae haud paribus. *Conf. Ordin. El. Proc. t. 1. §. würde sich.* causis pauperum gratis, publicò interea contenti salariò, patrocinari tenentur, peculiari quoque obstricti Juramento. *Ord. Appell. Elect. Sax. tit. 4. Dn. Carpzov. Proc. J. Tit. 12. art. 5. num. 52.* Pauper tamen vel causae victoriam, vel pingviorem natus fortunam, solarium Advocato solvat. *v. L. 4. fin. C. de Sportul. & Sumt. &c. Gail. 1. obs. 43. n. 19. 20.* quod quidem de jure non excurrit centum aureos, in Civilibus, ut restringunt, causis, Stylus tamen & in his auxisse videtur. *Conf. Augustin. Barbos. Sub voce Salarium. & L. 1. §. 10. 12. D. de Extraord. Cognit.* Major septendecim annis de Jure civili postulare potest. *L. 1. §. 3. D. de Postul.* Ast hodiernus Judiciis Stylus majorem in causis orandis desiderat; Incongruum utpote fuerit, causas illius committere patrocinio, qui ipse in rebus suis alterius regitur arbitrio. *arg. L. ult. C. de Legit. Tut. L. 1. §. 2. 3. D. de Minor.* Advocati porrò constituuntur in majoribus Judiciis, sic inducente Stylo, aut ad
anica

amicabilem transactionem: Zur Güte / aut ad litem Zum Rechte-
lichen Verfahren. *Carpz. Proc. t. 5. art. 1. n. 21.*

IX. Succedit nunc paucis despiciendum de Procuratori-
bus, quorum est officium, ex mandato res agere alterius, ab Ad-
vocatis diversi, quippe qui litis instruendæ causa litigantibus
adsunt. Jus commune non negat munus Procuratorium infamibus
§. ult. *Inst. de Except. v. tamen Schnob. ad II. Disput. III. §. 15.*
Secus tamen de Stylo nostro Curix, fori limina præcluden-
te hujusmodi Procuratoribus *c. infames 3. 4. 7. Gail. t. observ. 43. num. 5. &c. Carpz. Proc. 7. tit. 5. art. 1. num. 26.* Infamis enim, si
non recipitur ad honestum opificium, multò minus ei, ut Procura-
tori, templum patebit Justitiæ *v. Arnold. Reyg. Thesaur. Juris tit. Pro-
curat. Addit. n. 8. Bernb. Greven. I. Concl. 43. Consider. 3.* Reli-
quas personas judicio ministrantes occurrent in ipso Processu. Hac-
tenus enim dictum fuit de ipsis personis judicium constituentibus
earumque qualitate à Stylo Curix potissimum requisitâ. Non
autem sufficit personas exputasse, earundem in processu neglectò
officiò, quod maximam partem ex Stylo nostro fluit, uberrimâ
velut messe in illo collocatâ.

X. Ad ipsum igitur ibimus Processum, ejusque Stylum,
tam circa actiones, quàm scripturam. Qualibet vero pars, cum
suas separatim & ordine res ibidem gerat, optimum fuerit ab
ipsis methodum desumere personis, ne nascatur nobis Styli con-
fusa tractatio. Processus autem est vel Ecclesiasticus vel Secu-
laris, vel Civilis vel Criminalis, uterque iterum vel Ordinarius
vel Summarius, seu in Criminalibus Inquisitorius, licet & Civi-
libus in causis detur Executivus, seu, ut dicunt, Summarissimus.
Quid ergò Stylus in his circa Judicem, Actorem & Reum volue-
rit, breviter leviterque pro instituto & ingenio dicetur, & quidem
in quantum ad forum commune ac Saxonicum; Singula enim
excutere meæ haud fuerit industriæ Tribunalia, nec minus pe-
culiarem eorum, quem in quibusdam, licet non omnibus, agno-
scunt Stylum Curix. *Card. Tusch. Concl. Pract. Tom. 7. Concl. 695. num. 1.*
A primo autem tentandæ litis actu, *Gail. I. Observat. 48.*
incipiamus, fuerit congruum, scil. citatione, quæ ceu Juris natu-
ræ, nullo in Processu omittenda, reus & si præsens sit, causaque
C noto

notoria, nisi vel responsio non requiratur, vel præcedat Judicis denunciatio, in causis tamen levibus. *Græven. ad Gail. l. Conclus. Pr. 48. Confid. l. Dn. Struv. S. J. C. Ex. V. §. 10.* In hac præter nomina Judicis, (si est Delegatus, inseritur tenor Commissionis *Gail. l. Obs. 48. num. 1.*) Actoris & rei, locum, tempus, modo non feriatum, quod de Saxon. Stylo sex Septimanarum triumq; dierum, hinc peremptoriæ his in judiciis citationes cum voce peremptoriæ, vel simili comminatione. v. g. *Ihr erscheinet oder nicht &c. causam, nisi vel tenor libelli inseratur, aut copia ejus de Recess. Imperii 1654. §. Diesen nechst. vidimata, transmittatur, Stylus Curiaë requirit alternativam citationem, ad concordiam, aut hac negatâ, legalem causæ prosecutionem, quæ si servata non fuerint, nulla est citatio, nulla contumacia, nec alius illius effectus. Citatio enim contra Stylum consuetum facta perdit usum. Arnold. Keyger. Thes. Jur. voce Stylus. num. 2.* Ne tamen quæstio, num dies termini computetur in termino? scrupulos suos figat, Stylus fori nostri terminum à quo posuit post factæ insinuationis diem, ad quem verò, seu comparitionis diem in ipsa citatione exprimit: *auf den Montag nach &c. wird seyn &c. formulas vide ap. Processualisten, nam hic transcribere non valet.* Insinuatio fit per Nuncium juratum, aliquando etiam per Notarium & testes, ad domicilium citandi, qui planè sui copiam negans, de Stylo citatur Edictaliter in tribus diversis territoriis, quod & in Concurso Creditorum, Desertionis, Bannique Processu procedit. *Dn. Carpz. Proc. J. Tit. VII. art. 4.* In non subditum Stylus format citationem per mutui compassus literas, crediturq; alias de insinuatione Nuncii jurati relationi, ad acta redactæ *Carpz. Proc. Tit. VII. art. 1. n. 72. & art. 3. d. tit. n. 6.* Si plures autem heredes sint, aut litis consortes separatim habitantes, singuli; si verò Universitas, COSS. & Senatores &c. citantur, nisi illis fit Procurator communis, vel huic Syndicus, qui plerumque constituitur; tunc enim ita est Stylus: *Daß sie durch ihren hertzgenugsam Constituirten Syndicum erscheinen &c.* Termino instante Judex, si Commissarius demonstratâ prius commissione, quæ à Stylo consveto discrepans, putatur surreptitia. *Magn. Dn. Richter Dec. 15. n. 35.* tentat inter partes transactionem vel compromissum, non tamen cogit, nisi quibusdam casibus, *Carpz. c. 1. d. 11. n. 3. 4. Ord. Pr. El. Saxon.*

*Saxon. tit. 1. §. besonders / quibus non impetratis, partibus quasi li-
tis aperit limina, sic volente Curia Stylo, super partium positioni-
bus litisq; eventuali contestatione interloquendo, quamvis justis
interdum exceptionibus dicta suspendatur litis contestatio, Carpz.
Proc. tit. 9. art. 1. num. 67. Dec. Elect. XIV. Secus tamen in Proc. In-
quisitorio, ubi Stylus non observat compositionem amicabilem,
sed, ut Inquisitus respondeat ad Inquisitionis articulos, exigit, haud
suspendendâ per exceptiones responsione, nisi planè delictum ne-
getur; id tamen Stylus in speciali desiderat inquisitione, ut constet
de corpore delicti, sitq; suspectus Inquisitus. Carpz. Crim. Prax.
p. 3. q. 108. n. 43. seq. Executivo autem in Processu Stylus Saxon.
Elect. reo comparenti, contra quem guarantigiata producuntur
instrumenta, recognitionem horum, vel etiam juratam diffesio-
nem imponit, nisi post citationem, tres intra septimanas, justas, si
quæ sunt, exceptiones opposuerit, illis in termino, præter solu-
tionis ac transactionis exceptionem, non admittendis. v. Ehrst.
Erledig. Part. von Justitien Sachen §. 2. 3. In Processu Diffama-
torio primus impeditur terminus vel confessioni, vel probationi
factæ Diffamationis Gail. 1. Obs. 12. n. 2. Arresti Processus hoc de
Stylo habet, ut elapsâ, post illius petitionem, unâ quaterdenâ, Ju-
dex factam renovationem primam ad acta consignet, quod & in se-
cundâ requiritur, ubi demum Libello Arrestatorio simul illato,
emittitur citatio. v. Ord. Proc. El. tit. 51.*

XI. Circa ipsam litis contestationem, ex quâ causæ cardo
pendere videtur, Stylus Judici dictat, ne plura, quàm in libello con-
tinentur, reum sinat respondere, singula illius capita intrepido vul-
tu, additamentis procul asserendo vel negando. v. Ord. Proc. El. t. 16.
In articulis autem Inquisitionalibus Stylus Judici attendendus, ne
in uno plura eaque diversa sint puncta s. interrogatoria, ut eò ex-
plicatior sit Inquisiti responsio, quæ si negativa fuerit, maxima ta-
men contra Inquisitum militent indicia, communia & delicti pro-
pria, de Stylo Judex informatus descendit ad torturam, juxta gra-
dus præscriptos, quæ tamen non probat, nisi tortus confessionem
aliquo post intervallo liberè repetat, Carpz. Pr. Crim. p. 3. q. 126. n. 22.
seq. quam ubi revocat, aut planè nondum fecit, novis tamen,
oneretur indiciis, Carpzov. Pr. Crim. 3. quest. 125. num. 39. iterari
C 2 potest

potest tortura *Carpz. d. p. q. 126. n. 38. seq.* quæ si postmodum per-
tinaci eludatur revocatione, non facit quidem delictum confes-
sum, inde nec ordinariam, benè tamen pœnam arbitrariam. *Carpz.*
d. p. q. n. 58. &c. Factâ verò litis contestatione negativâ, quæ
propriè est litis contestatio. *Perez. ad C. de Lit. Contestat. num. 3.*
Judex injungit ad Stylum Curie probationem actori sententiâ
interlocutoriâ, in quâ & Stylus suas agit partes, præsertim, quod
intra certum spacium illa imponatur: *verb. Diweil Beklagter*
mit nicht gestehen auf die wider Ihn erhobene Klage &c. so ist
Kläger den Grund derselben binnen Sächsischer Frist &c. Ipse
probationis actus in multis juxta Stylum dirigitur, nec Judex
eum ante litem contestatam, dum haud constat, an opus sit,
permittit, nisi ad perpetuam rei memoriam, Reo quidem indi-
stinctè, in cujus arbitrio non est conventio; Actori verò, nisi
certis casibus, ubi periclitatur probatione testium eorum ob Se-
nectutem, absentiam aut valetudinem, ut tamen post intra an-
num agat, nisi uti nolit his depositis, quæ ideo non publican-
tur. Et hæc tantum in civilibus, non autem Criminalibus, nisi
ex parte rei, cujus defensio semper favorabilis. *v. tit. X. ut lite*
non Contestat. Carpzov. Process. I. tit. 13. artic. 7. Gail. Obs. 92.
Transmittit autem Judex articulos producto, ut vocant, ad for-
manda generalia & specialia interrogatoria, desuper testes, jura-
mentò horum prius, etiam in Summarissimò possessorio, exce-
ptionem *vide Dec. El. 1.* nisi utrinque remittatur, perjuriique
admonitione præmissis, clam partibus, *vide tamen Auth. C. de*
test. & Perez. ad d. 1. num. 22. Struv. S. J. C. Exerc. 28. §. 45.
interrogans eorumque tam super his, quàm articulis deposita in
formam examinis testium redacta, ni reprobationi se obtulerit
reus, citatis partibus publicat, vel si per subsidium aut Com-
missionem testium processerit examen, id clausum ad Judicem
mittitur publicandum. Et hæc omnia expedienda sunt in judi-
cio, nisi conditio personæ testis aliud velit. *Magn. Dn. Richter-*
Tract. de Adverb. signif. adv. Egregiè p. 234. seq. Stylus porro
Curie permittit producto, secus in Producente, si Notarius
Examinis sit suspectus, adjungere alium, aliamque formulam ju-
randi Judæo, quàm Christiano præscribit. *Ord. Cam. part. 1. tit. 26.*
nec

nec his in locis, ut in cute porcinâ Judæus juret, ad mores Sax. veteres, præsens requirere videtur Stylus Curia, quâ in causis feudalibus solennitas cum duodecim sacramentalibus jurandi sublata, *Magnif. Dn. Pres. laud. F. F. Comm. 1. F. 4. Lit. O.* adeò autem necessarium juramentum, ut testes sine hoc examinati, denuò sub juramentò repetendi. *Ord. Proc. Sax. Elect. tit. 20. §. wann es nun.* Quamvis & Stylus videatur admittere juramentum in continenti depositioni adjectum; quippe in continenti adjecta ipsi rei inesse putantur. *Magn. Dn. Pres. laud. F. F. Comm. 1. F. 26. Lit. f. vide L. 7. §. 5. π. de Pall. Termin. Proc. p. m. 174.* Non autem pro juratâ depositione fuerit, per scripturam, unter seinen Petchafft und Hand Unterschrift aut sub juramentò, quo superiori quis obstrictus, deponere, quamvis in causis Aulicorum Stylus hoc non aversetur. *Gail. 1. Obs. 101. num. 15.* nec testis producendi obstrictus, ritè deponit, nisi soluto quoad causam juramento. *Dn. Richt. d. Tract. de Adverb. Signif. Adverb. familiar. p. 280.* Iple demum jurandi actus à masculis, de Stylo, tribus prioribus erectis digitis, à foeminis autem dextrâ sinistrae mammillæ impositâ peragitur. Probationem autem non per testes solùm, sed per testes & instrumenta aut juramentum simul, aut horum unum procedere, notorium. Improbatione per documenta, Stylus exigit, ut Judex terminum Productio statuat ad recognoscenda vel juratò diffitenda, contra se ab Actore, vel reo in Reprobatione, documenta producta, quorum, si penes adversarium sunt, editio Actori sub amisitione causæ, rei sub pœna editi & recogniti; tertio autem mandato compulsoriali, eodemque, sine tamen Clausulâ, in Imperiali Camera imponitur. *Gail. 1. Obs. 106. num. 3.* Quod si juramentò decurrit probatio, an juxta Stylum illud sit delatum, Judex prius videat; interlocutoriâ post parti præstationem injungens *Dn. Carpzov. p. 1. cap. 12. Def. 34.* nisi Judex ipse vel ad purgationem, vel probationis supplementum initiò juramentum per Sententiam detulerit, quod ut necessarium omninò præstandum, prius autem, ceu judiciale, referri, nondum acceptatum revocari, & exoneratione conscientia deflecti poterit, ubi tamen interrogatoria contra testium personas, non autem causæ merita

concedit Stylus Curiae vid. Dec. Elect. 19. Probationem per testes, secus in Documentis, excipit publicationis actus, dum, partibus ad unius harum instantiam citatis, Judex, ferente sic Stylo, non enim est de Processus substantia Gail. 1. Obs. 105. n. 1. originalia Probationum in Sigillis recognoscenda, vel in contumaciam quasi recognita, exhibet, quaedam ex Attestatis legendo, tandem pro publicatis pronuncians, nisi partes in termino, juxta Stylum hodiernum, attestata pro publicatis declarent, quæ declaratio eundem cum reali publicatione præstat effectum, in hoc potissimum, ne post illam ulterior admittatur testium productio, sive copia parti Attestationum data, sive non data fuerit, Constitut. Elect. 1. cap. 16. Præsumitur enim post publicationem attestata didicisse; exceptio est in iudice, momentaneo possessorio, causâ matrimonii, mercatorum, dotis, Criminali, & denique omni illâ, ubi sententia non transit in rem judicatam. Gail. 1. Obs. 105. Factâ publicatione vi Styli communis partes de copiis Attestationum cum Iudice, inter se autem de positionibus, ut ajunt, Disputatoriis conveniunt, confecto desuper compromisso, hujus copiâ cuius partium communicatâ, quibus in hoc dissentientibus, ipse Judex terminum post copias currentem, etiam Jure Camerali, Grav. ad Gail. 1. Obs. 105. numerumque positionum determinat; Stylus verò Saxonicus non ita ex arbitrio Judicis pendens, partibus utrinque duas relinquit positiones, impetratis copiis, quæ ad summum intra duas menses ad litigantium instantiam, quâ non secutâ, brevius intra spatium, communicantur, sex septimanarum intervallis, (excipe causas metallicas in foro Saxon.) in scriptis, nisi res nullius momenti, proferendas; quæ super Documentorum recognitione intra sex septimanas à re judicata sententiæ interlocutoriæ expediuntur, hinc enim nulla publicatio, quem terminum Judex coarctare nequit, utpote in favorem partium introductum. L. 6. C. de Leg. hæcque procedunt in Civili & Criminali Processu Ordinario, secus in Inquisitorio, Executivo & Spolii; Stylus verò Inquisitorius ita solennem quidem Publicationem ac Disputationem, non autem Actorum per Advocatum inspectionem, quantum ad defensionem, non executionis elusionem sat fuerit, prohibet.

hibet. *Carpzov. Prax. Criminal. part. 3. quest. 115. num. 101. seqq.*

XII. Factâ sic Attestatorum Disputatione, ac in causâ conclusionem, sententia sequitur vel Definitiva, si plene probatum, Condemnatoria, si nihil, Absolutoria *L. 4. C. Edend.* Vel Interlocutoria de Juramento suppletorio, si semiplenè, aut purgatorio, ubi ne quidem semiplenè probatum fuerit, quæ Stylus prudenti Judicis committit arbitrio: In Sententia autem judex præcisè Stylum observet, ne aut nulliter, aut imprudenter judicet: Sententia enim contra Stylum Curia lata est nulla. *Gvid. Pap. Præfat. Decisio.* Imò judex contra Stylum judicans litem suam facere dicitur, *Card. Tusch. Pract. Concl. Tom. 6. Concl. 695. n. 25.* Judex ergò, prudens Styli custos, non temerè, sed benè perspetis actis, descendit ad sententiam, quamvis causam huic non inferat, nisi forsan his in verbis: *gestalten Sachen nach* / in sententia tamen Criminali, Stylus, humani sanguinis æstimator, causam exprimit. Sic enim collegia Jctorum pronunciare solent: *hat Inquisit gestanden und bekant &c. Daß Er &c.* Et judices ipsi: *diemeil du N. N. hast &c. so wirstu nummehr &c.* Ferenda verò est sententia partibus vel verè, vel fide præsentibus, ab ipso Judice, nisi vel Stylus, vel causæ levitas aliud velit, *Card. Tusch. Pract. Concl. 692.* pro tribunali, ex scripto, quod æquè Stylus non semper observat, in lingua de Stylo forensi recepta, libello conformis, non discrepans sibi, nisi petitio contineat diversa capita, tunc partim condemnans, partim absolvens esse poterit: *Gail. 1. Obs. 110. num. 1.* Sit modo pura, non conditionalis, nisi purificari queat absque novâ Judicis cognitione & sententiâ. *vid. Perez. ad tit. C. de Sent. & Interl. num. 26.* Judicis præterea partiumque nomina cum Processus essentialibus in ipsâ Stylus requirit sententiâ, nisi à Jctorum Collegio lata fuerit *in forma*, non sententiæ, sed *Responsi*, uti & à Judice, nomine hujus non addito, ritè pronunciari dicitur, *Const. Elect. 26. part. 1.* Id insuper discriminis Stylus inter Judicis & Juridici Collegii sententiam facit: Illius propriè decretum, hujus sententiam vocans, quamvis & Majorum Judicum sententiæ hoc nominis mereantur. Ille non utitur clausulâ *B. N. W.* Sed huic hæc *usita.*

usitata. Non interest autem, quis sententiam ferat, an sit Ordinarius, an Delegatus; modo & hæc in Commissione contineatur potestas, ut in dubio rectius consulatur Committens, quam frustra forsitan feratur sententia: Quod si plures sint Judices, majoris partis, modo omnes adsint, sin æquali dissentiant numero favorabilior prævalet sententia: Pluribus autem hoc Stylò causâ commissa: sammt und sonders: præsentibus non attentâ absentia, rectè procedunt. *Dn. Carpzov. Process. Tit. 2. Artic. 3. num. 24. seqq.*

XIII. Hactenus igitur juxta Stylum Curiaë judex egit, ubi partes non fuere refractariae, cum autem & Stylum acuat Judex in absentium contumaciam, necessum erit & de hoc videamus casu. Actor aut est contumax, aut ipse Reus: Si actor, prævia hujus accusatione condemnatur in expensas, licet actionem deserat, nec redire poterit, absolutò ab instantia Reò, ad actionem, nisi illis solutis ac cautione de litis prosecutione præstitâ, citra distinctionem, num ante, an post litem contestatam absens fuerit, quamvis interdum hoc posteriori casu definitivè pronuncietur. *Carpz. Proc. tit. 8. art. 1. tot.* Reo contumaciter absente, accusatur condemnandus ad legitima impedimenta, bis auf Ebhafft und behülffliche Wiederrede / nisi tamen in scriptis se primo, secus secundo, excuset termino, tunc saltem impensis, non legitimis statim submittitur impedimentis, *vid. Ord. Proc. Elect. Sax. tit. 10.* Condemnatus ad impedimenta, nec secunda vice citatus comparens, præmissâ contumaciae accusatione, in executionem condemnatur, auf die Hülffe / idque de Stylo fori nostri, ubi ex primo decreto immissio hic non obtinet; hæc pronunciandi formulâ, dieweil Kläger Beklagten auf Ebhafften und behülffliche Wiederrede erstanden und beklaget / so ist Er nunmehr auf fernere Ungehorsams / Beschuldigung in die Hülffe &c. vertheilet.

XIV. Quid Stylus noster circa Judicem possit prima in instantiâ hactenus dictum; Non tamen transeamus ad Stylum Executorium, antequam sententia in rem judicatam abeat, quam impedit vel Leuteratio, vel Appellatio, illa tantum suspensivum, hæc & suspensivum & devolutivum est remedium; Hæc foro communi

muni & Saxonico nota: Illa tantum Stylo Saxonico recepta, Schneidw. ad tit. Inst. de Action. §. curare n. 35. Nec adversatur L. 4. §. 1. D. de Appell. ubi saltem de sententiæ in verbis obscuræ declaratione, non autem iniquæ reformatione agitur, quæ propriè dicitur Leuteratio, in multis Appellationi par & impar, hinc iisdem ferè dicitur constare regulis, & ab una ad alteram procedere argumentum; interponitur æque intra decendum, non tamen facit instantiam, minus ergò rectè juxta Stylum dicitur Leuterationis instantia. Judex circa hanc attendit maximè, num justè interponatur, insertis juxta Stylum Interlocutoriis saltem, ut volunt, gravaminibus, nullâ malitiâ interveniente, contra quam non solum juramentum malitiæ, vel ex officio Judicis deferendum. Ord. Proc. El. Sax. tit. 35. §. dieweil aber. Sed & ipsa Leuterationis, cum expensarum pœnâ, rejectio militat; Ubi Stylus pronunciandi: Daß es eingewandter Leuterung ungeachtet bey vorigem Urtheil verbleibe / und ist Beklagter die Unkosten auf Ermäßigung zu erstatten schuldig: Aliqua autem sententiæ declaratio ab expensis liberat, salvâ tamen sententiâ, sub Stylo pronunciandi: Daß es eingewandter &c. jedoch mit dieser Erklärung / Daß Leuterant mit der restitutione expensarum verschonet werde. In ejusmodi tamen Sententiis voce *Leuterant* & *Leuterat*, Stylus purior haud utitur, pro illis vocabula, Kläger und Beklagter substituens. Non verò admiserit, sic dictante Stylo, Judex Leuterationem, à sententia possessorii momentanei, nec in Processu Inquisitorio, ubi pronunciatur: Daß die eingewandte Leuterung nach Gelegenheit der Sache nicht zulässig / sondern es wird derselben ungeacht mit den angestellten inquisition Process fernere billig verfahren. Loco tamen Leuterationis & Appellationis Inquisito datur Defensio. Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 130. Causæ verò Inhibitionum, tresque conformes sententiæ de Stylo nostri fori Leuterationem non excludunt, nisi forsan ob negligentiam Leuterantis in petitione Citationis, illegitimæ dilationis, vel Leuterationis prosecutione commissam. v. Decis. Noviss. Sax. 69. deserta pronuncietur, hac Styli formula: Daß eingewandte Leuterung desert und erloschen / und Kläger die expensas retardati Processus &c. zu erstatten schuldig. Leuterationis quidem Leuterationem

D

Sty-

Stylum detrectare certum est: Sunt tamen casus ubi Oberleuterationi locus, si pars per Leuterationis sententiam de novo gravata. *Proc. Ord. El. t. 35.* aut causâ in summo Electoris Ducumq; Saxoniz Judicio, vi primæ instantiz actâ, per sententiam Definitivam, aut huic similem læsa fuerit, *v. d. t. Ord. Proc.* Reliqua quæ Stylus hic disponit infra in Actore & Reo fortè deducantur.

XV. Appellatio, secundam efficiens instantiam, coram Iudice à quò interponitur, vel vivâ voce, sive ut loquuntur, stante pede, auf unverwandten Fuß / nisi sententia merè sit Interlocutoria, (qui tamen modus, causis metallicis exceptis, de Stylo nostro vix frequentatur,) vel in scriptis, intra decendum, quod nec, nisi consentiant partes, coarctandum, nec harum placitò prorogandum, aut si Iudex recipere nolit, interponitur de Stylo coram Notario ex testibus *Resol. Noviss. Gravam. Tit. von Justitien Sachen §. 30.* idque vel ab Interlocutoria, Secus de Jure Civili *L. 36. C. de Appell.* si gravamen contineat irreparabile. *Perez. ad d. t. C. n. 19.* vel Definitivâ dandis post, factâ intra triginta dies petitione, vel Reverentialibus, Refutatoriis vel Testimonialibus Apostolis, cum Appellatione Iudici ad quem, unius mensis spatio, vi Styli nostri insinuandis, Appellationis introducendæ causâ, quæ si nec hic primo quasi auditur limine, pars Appellans supplicare de recipiendo poterit, inhibitione post ad primæ instantiz iudicem deferendâ, ne hic in causa procedat. Justificandam postmodum vult Stylus appellationem, de Jure Civili quidem intra annum, aut nostro in forò, statim post inhibitionem, sequenti termino, modò huic & illi intercesserit spatium Saxonicum *Noviss. Resol. Gravam. Part. von Justitien Sachen §. 28.* nisi Appellans Justè impeditus se ritè excuset; Justificatione, quam in Justificante infra paucis videbimus, rectè peracta, Iudicis est pronunciare, si læsio probata, reformandò, vel si hoc non factum, confirmando sententiam primæ instantiz, hoc Stylo: *Daß in erster Instanz wohl (übel) gesprochen / und übel (wohl) appelliret: vel daß die Appellation in Ihren formalien beständig / und zu gebührender Rechtfertigung anhero erwachsen / bey den Materialibus aber erscheinet ex Actis und*
Der

der Partheien einbringen so viel / daß in erster Instantz übel ge-
sprochen &c. Reformatâ igitur vel ex totò, vel ex parte prioris in-
stantiæ sententiâ, juxta Stylum hodie ut plurimum compensantur
expensæ, causa principali ad Judicem Appellationis quâ cogni-
tionem juxta leges primæ sententiæ. *Nov. 115. pr. & §. 1. & exe-*
cutionem devolutâ; Sin sententia prior confirmetur, aut Ap-
pellatio propter formalia ceteraque pro deserta declarata fuerit,
hoc ipsò jurisdictio inferioris redit, causæ executione eidem
commisâ, hoc pronuciandi Stylo: Der in erster Instantz wohl
gesprochen / und übel appelliret, dahero diese Sache an vorigen
Richter mit Erstattung der Unkosten dieser Instanz &c. verwiesen
wird: De Stylo igitur præsentem temere appellans solvit expensas.
v. c. 59. X. de Appell. veteri Saxonico non attentò, ubi præter
illas & Judici multa 30. solidorum dabatur, quum nec hodiè
Stylus à quovis sic appellante impensas exigat, nisi rejecta vel
deserta illius sit appellatio, tunc & arbitrariè insuper de Stylo
Communi punitur, Recess. Imp. de A. 1600. und ob wohl 17. ubi
pœna 10. marcarum auri. Recess. Imp. de A. 1654. §. würde sich a-
ber 119. ubi arbitrio Judicis relinquatur. Gail. 1. Obs. 152. num. 29.
Quid si causa committatur sub Clausulâ: Remotâ Appellatione?
Putant, frivolam hic removeri. arg. c. 13. X. de offic. Delegat. & c. Gail.
1. obs. 33. n. 5. Alii rectius eam prohibitam volunt, quæ expresso
Jure nititur c. 53. X. h. t. nihilominus tamen gravamen superior
corrigit. c. 9. X. de sentent. & re Judicat. quamvis pro diversitate
causæ, sub clausulâ commissæ, utraque intelligi queat Appellatio.

XVI. Paucis nunc & Stylus in Executione nobis expedi-
endus ratione judicis; nam ratione ceterarum in judicio partium
Stylus in executione ac ipso processu videndus restat. Executor
autem est vel ipse Judex, vel alius, isque aut merus aut mixtus,
ut dicunt; ille vi Jurisdictionis per nuncium judicii vel Appari-
torem, iste ex delegatione, hic vel in subsidium, vel per manda-
tum Executoriale, de Stylo, parti supplicanti à Superiore datum.
O. Pr. El. Sax. tit. 39. sub pœna 100. floren. in executoris negli-
gentiam, executionem facit. Ad hanc verò datus judex non co-
gnoscat, nisi de exceptionibus ipsam executionem remorantibus,
ceteris ad delegantem remisissis; licet Stylus fori in personalibus,

præter solutionis, compensationis & transactionis exceptiones
alias vix admittat. *O. Pr. d. t. §. wann aber.* Non tamen de Sty-
lo iudex realiter exequitur, antequam reo præceptum executivum
fuerit insinuatum, tunc interjecto termino, primus executio-
nis sequitur actus, in ædes quidem, sic ferente Stylo Saxon. per
scissuram lignei frustuli, durch anschauung eines Spans aus der
Thür; in agrum per effossionem glebæ, mit Ausgrabung eines
Erden-Klofes; in vineas autem exemptione palmitis, durch Aus-
hebung einer Weinrebe / quæ tanquam executionis symbola tra-
duntur in rei testimonium Victori una cum Executionis literis:
Hülffs-Schein. Quod si nec spatium intra Sax. creditori satisfiat,
realis sequitur immissio, die würckliche Einweisung / in domum
aut prædium durch Auslöschung des Feuers und wieder Anzünd-
ung desselben / Stylo hîc recepto, nec executionis termino à Ju-
dice coarctando, nisi exceptis casibus *Dn. Carpzov. tit. 25. art. 3.
n. 21. seq.* Res autem non promiscuè persequitur Excutor, sed eas
primò, quas præcisè adjudicat sententia, aut quas pignoris ra-
tio afficit, sive omnes, sive quasdam in specie, tum enim prio-
ri casu creditoris est electio: At his non datis, primò mobilia,
præter res ad agriculturam, studia, artificium usumque quotidia-
num spectantes, nisi forsan in subsidium & aliis casibus *O. Proc.
Sax. El. tit. 39. §. anfänglich zwar Dn. Carpz. 1. Def. for. c. 29. d.
31. 32. &c.* deinde immobilia, his demum nos extantibus, aut suf-
ficientibus Jura *L. 15. π. de re judic.* quamvis hic ordo de Stylo
forsan non ubivis observetur. *Perez. ad tt. C. de Exec. R. J. n. 13.*
hoc tamen generaliter exequenti convenit, ut quantum possit,
minus noceat debitori, creditori tamen satisfiat. *O. Pr. d. t. §.*
Und da ein. Rebus executivè captis, Iudex in personalibus ten-
tat, num creditor earum usufructu vel in solutum datione sibi
velit satisfieri. *Dn. Carpz. 1. c. 31. Def. 33.* quò non impetratò, v.
Perez. ad d. t. n. 21. transit ad subhastationem (non autem juri-
um) Generalem, vel voce præconis vel edictò publ., non, nisi
feudalia sint, in tribus locis affixò. v. *Resol. Grav. §. 6* sine lici-
tatione, secus de Jure Civili tres quaterdenas de Stylo durantem,
ante harum finem, licet venerit emtor *Edict. Torgav. tit. von Seils-
bieten. Constit. El. p. 1. c. 32.* und sollen insgesamt. Hastâ gene-
rali

rali decursâ. *v. l. 6. C. de jure & fide hastæ fisc. se sistit Specialis, seu Licitationis actus, ubi cuilibet sive suo sive alterius nomine, iudice aliisque jure Commercii privatis exceptis, licitandi datur facultas, res autem illi, qui durante triplici quaterdena pretiô non superatur, wann Er sein Licitation- Recht erstanden / adeo ut toties aliàs sit repetenda subhastatio, quoties durante eâ à novo licitante sit superatio. Dn. Carpz. contr. Berlich, Proc. I. t. 25. art. 4. n. 54. seq.* Hastæ autem termino lapsa non datur ulterior licitatio, nec licitanti pœnitentia. Quod si non reperitur emtor, de Stylo nostro; secus J. Civili L. 15. §. 3. *π. de R. Jud.* Creditoris vel Judicis sequitur taxatio, hancq; specialis subhastatio, quâ factâ, nec tum emtore reperto, Creditori licitanti aut taxationem saltim petenti res addicitur, secus si Judex sua sponte taxaverit. *v. Ed. Torgan. d. t. 8. dieweil aber. Dispar ferè Stylus in feudalibus, d. t. C. Ed. §. so sollen auch. O. Pr. t. 40.*

XVII. Hæc potissimum de iudice in executione: Nunc brevius de Stylo circa Actorem & Reum, nec minus Advocatum & Procuratorem in Processu. Acturus, vel supplicatione singulari, vel hac breviter libello innexa Processum rei que citationem impetrat; paulo aliter de jure Civili *v. Avib. offerat. C. de Lite Cont. & Perez. ad Tit. C. de in l. voc. n. 6.* accepta Termini schedula, Tage Zettel / solutisque citationis & insinuationis sportulis, se sistit in termino, libellum in scriptis, nisi causa sit summaria, quamvis & hîc Stylus Suprem. Curiar. aliud velit. *Carpz. Pr. tit. 2. art. 1. n. 74. & t. 22. art. 2. n. 13.* oblatum, riteque non per articulos diversos, nisi tres, excepta operarum & concursus causa, formatum, clausulisque Stylo solitis munitum in termino repetit, idq; vel viva voce in calamum, Curia Lipsiensis, vel remissione ad Libellum, aliorum Judiciorum, Stylo observante. *Carpz. Proc. t. 6. art. 1. n. 21.* ubi Styli formula: *er wolle sein Libell von Wort zu Wort anhero wiederholet haben &c.* Cautione de Reconventionem & expensis præstita, quam revelat bonorum in territorio possessio, litis contestationem, nisi ipse sit contumax, de quo casu vide supra hoc c. n. 13. expectans, quam si negativam fore sibi persuaserit, in fine libelli de Stylo nostro deferre debet juramentum, quod in omnibus, etiam famosis, diversum de Stylo Saxon. *Carpz. 1. c. 12. Def. 4.* non tamen, ob per-

C 3

jurii

jurii metum, in Criminalibus & matrimonialibus, nisi afferendis, obtinet judiciis; Modus autem deferendi est diversus; Factum enim super quo defertur, est vel proprium: tunc de Stylo causa committitur, vel conscientiae tantum: Wird die Sache ins Gewissen geschrieben, vel Conscientiae & notitiae simul: ins Gewissen / wissenschaft und wohl bewusst: aut factum est alienum, tunc committitur vel notitiae tantum, in seine Wissenschaft und wohl bewusst / vel notitiae & conscientiae simul. v. *supr. formul. Dn. Carpz. p. I. c. 12. d. 40.* quò intermissò, ad probationes recurrat alias per testes aut documenta: Circa illos formando concisè causae ex vilceribus articulos, subnexis testium nominibus cum ipso Directorio, terminum intra Saxonicum insinuandos, licèt tota haud peragatur probatio, hoc autem Peremptorio neglecto, actor, secus in reprobatione accusati. *Carpz. Pr. Crim. p. 3. q. 106. n. 89. seq.* causà cadit, nisi dignus restitutione. *Proc. Ord. t. 20. §. und dieweil. Carpz. Pr. tit. 13. art. 1.* vel dilationem, ad quartam usque, debità tamen solennitate, impetraverit, *Pr. Ord. d. t. §. wir lassen auch & c. Rec. Imp. 1654. §. den punctum probation:* Probatio autem si documentis decurrit, horum pariter copiam dictò in termino judici insinuet, aut si quædam reus teneat, compulsoriales de edendo, nisi causa sit Executiva, unà cum præfigendo termino ad cognoscendum vel juratò diffitendum petat, in illo post vel Originalia, vel ipsos testes producturus. Terminò igitur instante, testes producit realiter, aut verbaliter juxta Stylum absentes tanquam præsentem, super planè peregrinis, præstitò interdum juramentò malitiae, post ad ejus, vel etiam ad rei instantiam, attestata publicantur, quo facto, sive copiam illorum acceperit, sive non acceperit, actori ulterior negatur probatio, exceptà summarissimà causà possessori. Post publicationem Disputatio, quam duabus positionibus, interpositò sex septimanarum spatio, nisi prorogetur, à tempore acceptæ copiae, secus in Documentis, expedit, in scriptis, si res alicujus momenti, post in causa concludens, septem intra dies absolutis Disputationibus juxta Stylum præsentem. *Nov. Resol. Grav. tit. von Justicien Sachen §. 32.* idq; sponte, aut necessariò, parte conclusionem fugiente causaque à Judice pro conclusa accepta; vel Expressè, will mit Wiederholung aller Acten zu einem gedeilichen Urtheil beschloffen haben: Vel

Vel tacitè, his fortè formalibus: Bittet die Acten gebührend zu inrotuliren und Rechtlichen Aufspruch drüber einzuholen. Denique vel Purè, sic Stylus distinguit, vel conditionatè, v. g. im Fall verbleibender Meinung &c. Conclusio hæc, licet de Jure non necessaria, Stylus tamen sine hoc non dat sententiæ locum, tam in Camera, quàm Iudiciis alijs. *Gail. l. Observ. 107.* Effectus eius est, quod os partibus claudat, *argumento c. 9. X. de fide Instit.* exceptis tamen casibus. *Gail. d. l.* Actui tandem Inrotulationis, de Stylo receptæ causâ ad Ictorum collegium mittendâ, actor, nî contumax adest, partim de ipsis actis, de collegio partim mentem exponens.

XVIII. Hæc de Actore usque ad sententiam; reus quoque eo usque nobis videatur, utrisque tandem iuxta Stylum in Leutatione & Appellatione &c. iustrandis. Reus ritè citatus, non captus, quod stylus permittit, ubi verbali non paret citationi, aut de fuga suspectus, vel in flagranti crimine deprehensus, aut Processus Inquisitorius contra eum detur, spacium Saxonicum deliberandi habet, cedere, num contendere malit, sua secum iura exputans, ad citationem formalibus perfectam se sistit in termino, omnes, de Stylo fori nostri, exceptiones dilatorias, casus exceptos *vide Carpz. Proc. 7. t. 9. art. 1.* sub pœna præclusi, dicto statim termino proponit, annexa eventuali litis contestatione, quâ omisâ expensas termini luit, nisi forsan exceptiones ab illa relevent, ut sunt exceptio Incompetentiæ, ante exceptionem suspecti opponenda, *v. Dec. El. XIV. Ord. Pr. t. XI. Resolut. Gravam. Tit. von Justicien Sachen §. 18.* Peremptorias verò exceptiones litis contestationi de Stylo nostro statim, sub prædicta pœna subnectit, hac formula: und damit solches desto ehr geschehe / so opponiret Besflagter Klägern folgende Exceptiones peremptorias &c. nisi litis ingressum his eludere velit, tunc, si momentaneæ sunt probationis, ante litem possunt opponi *d. t. §. 18. Resolut. Grav.* si ergo tales desunt, litis ab eo contestatio exigitur, & quidem aperta, breviterq; ad singula libelli puncta vel negans vel asserens. *R. I. de A. 1654. §. Es sollen auch. Ord. Proc. El. t. 16.* In criminali Inquisitorio tamen ad articulos adhuc toleratur responsio. *Carpz. p. 1. c. 10. D. 8.* fecus est in causis summaris: Executivis, ubi qualis qualis respon-

responsio vel recognitio aut jurata diffessio sufficit. *Carpz. Proc. t. 10. art. 2.* Reo autem comparenti quidem, in contestando tamen contumaci, imponitur contestatio vel cum, vel sine refusione expensarum, sub pœna contumaciæ. *Key Straff Ungehorsams.* Si secundo in termino contumax, sub pœna confessi & expensarum compellitur, hoc pronunciandi Stylo: *Daß Beklagter die Unkosten dieses Termins zu erstatten / und auf fernere Vorladung vorigen Urtheil Folge zu leisten schuldig / in dessen Entstehung aber lis pro contestata nicht unbillig gehalten wird.* Tertiò in termino, si adhuc contumax, prævia illius accusatione, lis pro contestata habetur, *Dn. Carpz. p. 1. c. 10. D. 14.* hoc Stylo sententiæ: *Daß wegen Beklagters Ungehorsam lis nunmehr pro contestata zu halten &c. & condemnatio in libelli contenta sequitur.*

XIX. Reus huc usque nobis obvius, quatenus non tam in comparendo, quam non contestando contumax; nunc etiam contemplabimur, ut planè non comparentem: Ultra quartam præfixi termini, (tamdiu quippe, licet de Stylo zu rechter früher Tageszeit citetur, ab Actore expectandus) præsentiam sui detrectans, ab actore accusatur contumaciæ, factâ prius ab hoc libelli repetitione, petendo ut ad legitima damnatus sit impedimenta: e.g. als beschuldigt Kläger Beklagters Ungehorsam / bittet zu erkennen / Daß er ihn biß auf Eh-hafft erstanden und erklagt; nisi actor fortè in expensas, quæ tamen aliàs huic condemnationi insunt, reum saltim condemnari petat. Impedimenta autem quædam vide *ap. Carpz. t. c. 9. d. 7.* scriptis prima vice, non secunda. *Ord. Proc. t. 10. verb.* iedoch aber / probabiliter allata liberant tantùm à pœna contumaciæ, non tamen impensis, quamvis interdum nec harum sit damnatio. *Carpz. Proc. t. 8. art. 4. n. 33. P. 1. c. 9. Def. 20. n. 6.* Sententiâ verò biß auf Eh-hafft und behelffliche *Widerrede /* latâ, reus denuò citatus contumax, vel probandis impedimentis destitutus, præviâ juxta Stylum accusatione, condemnatur ad executionem: *Daß Kläger seine Klage gegen Beklagten biß auf die Hülffe erstanden.* Hoc tamen de Stylo fori Saxonici ante litem contestatam, nec, quia durum, in causa Leuterat: Appellationis & Compromissi facile obtinet. *Carpz. d. p. & c. D. 21.* Quod si reus comparens litem negativè contestatur; *Daß er der Klage in massen sie vorbracht / in ihren puncten und*
clau-

clausulen nicht geständig / suscipitur ab actore probatio, vel per
testes; ubi interrogatoria generalia circa testium personas, &
specialia de illorum depositis format, in termino ante præstitum
juramentum testes, quos in continenti docuerit in habiles, se-
cus, tamdiu suspenduntur aut cum protestatione admittuntur
Gail. 1. Obs. 87. num. 5. v. Ord. Proc. t. 20. Verb. Da er aber /
rejici petit. Dieweil auch &c. als bittet ab Examine N. zu re-
jiciren. Vel per Documenta, quorum Originalia aut vidimata,
ut vocant, in termino reus recognoscere aut jurato diffiteri, se-
cus tamen in publicis *v. Decis. El. 74. verb.* Jedoch mit &c. te-
netur, de Stylo enim nostro Documenta non probant, nisi re-
cognita, aut in contumaciam pro recognitis accepta, quæ duo sem-
per mediante interlocutoriâ fiunt: Daß die Documenta zur Gnu-
ge recognosciret, oder pro recognitis in contumaciam zu halten. In
hoc tamen casu, ubi diffitens perjurii suspectus, actor per testes ju-
ratos ea probare potest. *O. Pr. t. 25. §. da aber.* Jurata verò fit Dif-
fessio vel circa manum seu Scripturam propriam, daß es sein Brieff
und Siegel nicht sey; vel alienam, daß er weder Hand noch Siegel
kenne; Interdum tamen, ne vel comparatione literarum vel aliter
recognoscens vincatur, salvis exceptionibus vel de Documen-
ti defectibus, in termino statim notandis, vel aliis, recognoscit:
Wolle durch diese recognition sich an seinen Rechten nichts begeben
haben/vel befindet die Documenta nicht richtig: Contra hæc eidem &
per testes reprobatio datur, *v. O. Pr. t. 25.* Reprobatio autem in gene-
re est rei beneficium eludendi Actoris probata: Conceditur, licet
nec à parte, nec Judice reservata. *Pr. O. t. 21.* in omnibus regulariter
causis, exceptis Executivis, momentaneo possessorio, & Exone-
ratione Conscientiæ, ceteris paribus, eodem Stylo, quo Proba-
tio, ante tamen hujus publicationem peragitur, nisi simul Pro-
batoris acceptis & Reprobatoris productus insinuare velit ar-
ticulos, ubi mutuò decurrit passu cum ipsâ probatione. Proba-
tione autem per juramenti delationem levandâ, reus præstito ab
Actore juramento calumniæ: Daß er Beklagens Gewissen ge-
fährlicher Weise nicht gerühret / ejusque intra octiduum citatio-
ne impetratâ, delatum præstat, aut, nisi sit de facto proprio vel ac-
ceptatum, deferenti refert: So wil er den Eyd vor Gefehrde ge-
fors

E

fors

fordert/ und Thyme deferenten alsdenn den Haupt Eyd referiret ha-
ben &c. quò factò utrumq; juramentum ab Actore præstandum, nec
conscientiæ datur exoneratio, quâ tamen reus juramentum vitare
poterit, ad illam se intra octiduum à tempore rei judicatæ offerens.
v. O. Pr. tit. 18. & 19. His peractis sequitur publicatio & Disputa-
tio, quam reus, contra quem probatum, incipit, duabus, supra dicto
modo & tempore, positionibus absolvens, similiter in causâ con-
cludendo.

XX. Nunc & ad Procuratores & Advocatos dirigatur gres-
sus, quid demum de his Stylus velit, videndo. Procurator, ne illegi-
timationis repellatur exceptione, veniat instructus, etiam ad citatio-
nem impetrandam, ut vult *Resol Grav. Tit. von Justitien Sachen §.*
17. mandatò legali ad heredes quoque directo. *Ich N. vor mich und*
meine Erben &c. ne litis reassumptione opus sit, sed defuncto etiam
Principali Procurator illam continuet. *R. J. 1654. §. 4. Resolut.*
Gravam. tit. von Justitien Sachen §. 19. aut ubi defectu manda-
tum laborat, vel sit talis, qui sine mandato admittitur, de rato
realiter caveat. *Carpz. Pr. t. 6. art. 5. n. 4.* in omnibus tam criminali-
bus quam Civilibus admittitur causis, ex parte tamen rei, ubi pœna
fuerit intra relegationem. *vid. Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 105.* Litis
quoque contestationem, non autem juratam documentorum dif-
fessionem peragit. *Perez. ad C. de Lit. Cont. n. 5. Ord. Proc. Saxon.*
t. 25. verb. in der Person: & ad agendum datus hodie videtur quo-
que datus ad Appell. Perez. ad C. de Procur. n. 24. Charta demum
blanca, nisi cum suis clausulis mandatam in ea sciente Domino sit
scriptum, pro Procuratorio non est. *Carpz. Pr. I. t. 5. art. 1. n. 110. For-*
mulas vid. ap. F. big. Pr. p. 48. Peliz. Tab. VIII.

XXI. Advocatus regulariter omnibus causis, etiam Crimi-
nalibus ex parte Actoris contra reum, modò ille æque fundetur in
accusando, quam hic in defendendo, patrocinatur, contra Ma-
gistratum tamen aut Dominum lites subditorum frivolas non in-
struat, reumve, si nequam insignis non defendat, *v. Ord. Pr. t. 3.*
verb. die Unterthanen. Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 114. n. 35. Pruden-
ter autem & modestè se gerat Advocatus, ne impingat in Stylum
Curie, cavillando scil. judicem aut patrem. *v. Ord. Pr. d. t. quod*
pro ratione circumstantiarum §. 10. aut pluribus punitur thaleris, vel
ipsâ

ipsâ quoque fori suspensione, licet convitiis ab adversario provocatus mendacii eundem possit arguere. Nec dolo malo, bono tamen utatur, nec contra acta quid neget, partemve ad negandam instruat, sub pœna arbitraria. *Carpz. p. 1. c. 1. d. 20.* vel nimis sit prolixus & verbosus, nî vel multam in Electorat. Sax. 5. thalerorum, vel ipsam positionum rejectionem sustinere velit. *Carpz. Pr. t. 5. art. 7. n. 39.* Visis Clientis juribus non transeat ad partem alteram, susceptumve patrocinium deserat, in prima saltem instantiâ, eludat, exceptiones rei nomine Clientis sub multa 5. thaler. positione primâ, expresso suoq; subscripto nomine: De Stylo quoq; nî pœnam arbitrariam, vel in *Elect. Sax. 5. thalerorum* incurrere velit, in Leuterationis prosecutione Clientis gravamina specialiter, in actis verò allegandis folia designet, relicto semper Originali vel vidimata in judicio copia, litisque contestatæ defectum specificet, alicubi viva voce in calamum repetito libello. Partis autem jura prodens, vel confusè tractans, aut contra Stylum comparens scil. illegitimo cum mandatario, arbitrariè punitur. *Carpz. tit. 5. art. 7. n. 11. 18. 22. 31.*

XXII. Tandem & paucis Stylum secundæ instantiæ circa Actorem reumque videbimus Leuteratione præmissa. Hæc utrique parti, in quantum interposita, post citationem communis, non ante hanc revocata, nisi Leuteratus decendum intra eidem adhæserit. Leuteranti verò incumbit intra spatium Saxon, à die interpositæ petere citationem, aliud in Concurf. Credit. in Appellation. Judicio Dresdensi; plures exceptiones *v. ap. Carpzov. Pr. I. t. 17. art. 3.* insuper in termino, emanente etiam Leuterato, quoad formalia & materialia Leuterationem oretenus prosequatur, duabus in Interlocutoriis, quibus autem alternativis positionibus in Definitivis sententiis. *P. O. t. 35. §. Diweil aber /* quo intermisso, vel ipso etiam Leuterante haud comparente, ad instantiam Leuterati, qui iisdem gaudet positionibus, unâ cum Leuterante concludens, Leuteratio declaratur deserta. *Carpz. Proc. t. 17. art. 1. n. 102. seq.* Ut Leuteratio utrique parti, sic Appellatio pluribus litis consortibus communis, interponenda vel à tribus de Stylo nostro paribus sententiis, fatalibus interponendæ, petendi Appostolos, introducendæ ac justificandæ tam in formalibus, quam

materialibus, duabus utrinque positionibus, rite servatis, factaque novâ, vi *L. per hanc C. de tempor. Appell.* probatione, operatur sententiam vel contra vel pro prioris instantiæ decreto. *Conf. Supr. h. c. n. 15.* Finis restat & Contraria, sed hæc in lege vel fori observantia contraria; ille verò in justo judicialis negotii ordinè cernitur. Plura tam diffusa desiderat materia, aut institutum meam angustiam B. L. excusabit: Integer forsan Tractatus hîc suffecerit, non qualiscunque hæc Dissertatio.

S. D. G.



IL juvat ampullas & sesquipedalia
verba

Fundere, tractantem publica jura
fori:

Sed decet Astrææ coelum subiisse The-
miste

Ductrice, & Themidos sic didicisse
Stylum;

Hoc satius, REICHARD, Specimen laudabi-
le monstrat,

Perge modo post hac commoda mul-
ta feres.

*Erudito atque Polito DN. REICHARDO,
Amico suo dilectissimo benivolentia te-
standæ causæ gratul. adponeb.*

ERNESTUS FRIDERICUS Schröter/D.

BUR-

BURCHARDUS HENRICUS
TILEMANN,

Singulari Juris scientiâ commendabili

DN. CHRISTOPHORO REICHARDO,

Auditori Suo, Affini, sinceræ fidei Amico

SALUTEM!

T Eutonicos homines insatiabile scriben-
di cacoethes tenere, paucissimis tamen datum
esse aliquid producere, quod inventionis acumi-
ne, aut ingenii lepore polito applausum seculi
possit provocare, plurimi audacter dicunt Itali, & cum ipsis
personatus Severinus de Monzambano in Epistola lib. de Sta-
tu Imperii Germ. præfixâ ad Fratrem Lalium. Fatendum
quidem est cum Lansio in Orat. pro Ital. Italos esse ingenio-
sissimos, eorumq; divinam indolem & incomparabilem in-
geniorum vim ex omnibus fermè in universum rebus pate-
scere; inde verò minimè gentium Philantia Italarum & Se-
verini nostri probanda, quasi soli sapiant, & nullius exter-
næ limæ indigeant. Quod enim præter alia scientiarum
genera etiam Civilis prudentia non ab Italis tantum addi-
sci possit, hoc satis abundè Tua de Stylo Curie, POLITIS-
SIME REICHARDE, quam (quia notissima omnibus
Tua est Modestia) non captandæ alicujus gloriæ, vel super-
ciliosæ jactantiæ, sed potius Exercitii Academici causa pan-
cos intra dies conscripsisti, testatur Dissertatio. Licet
enim cum Transalpinis, ut dicunt, de summis montibus
nondum conspexeris Italiam, pro ratione tamen ætatis ita
Tuam nobis exhibuisti Eruditionem, Tuamq; in disponendis
& decidendis controversis Dexteritatem, ut non facile ali-
quis

quis habeat, quod taxare possit, ni Momi velit personam induere, quem ferunt sandalium Veneris tandem culpasse, cum Venerem non posset; quicquid enim ex officina tua luculenta depromitur, id omne probum, excoctum ac emaculatum esse habeo persuasissimum. Et sanè multoties hætenus delectatus sum vehementer istac tua Curiositate & Probitate, qua neque tulisti agrè de una alterave re Te commoneri, rogasti potius, ut de cæteris idem facerem; quia eis te gratiam habere profitearis, qui ab erroribus te vindicaverint. Non ego tamen mihi tantum, arrogo, ut quod Tu ignoraveris, ego id me accuratissimè scire credam; sed scribentibus & discantibus omnibus id usu venire solet, ut in studiis scriptisve suis (dum nova sunt) tractandis relegendisq; vel obaudiant, vel conivententibus applaudunt. Sed quorsum hæc? omnia sanè illa facile omissem, nisi tantam tuam esse Humanitatem, ut Te boni consulturum, quidquid à me profiscatur, scirem. Si verba suppeterent animo, laudare pro merito Ingenium, Probitatem, Modestiam & Studium Tuum conarer: sed vereor, ne laudes cogar tantas, ut Flaccus inquit, culpa deterrere ingenii. Quare imitabor Timantem, quodq; exprimere penicillo non possum, velo contegam. Quantum enim ipse de TE conceperim, cum primum Te cognovi, quantum porro de Eruditione Tuâ Jurisprudencia nostra sibi speret & spondeat, facilius cogitare possum animo, quam dicere. Non ex amore iudicium hoc est, sed ex iudicio amor. Testes sunt commilitones sexcenti, testis est pulpitem illud, ex quo nunc iterum singulari cum applausu respondes. Cum universa ergo Academia nostra Tibi ex animo gratulor. Interim, Politissime REICHARDE, mactè diligentia & eximiis bisce profectibus,

libus, incumbere quaeso, & Jurisprudentiam nostram quantum potes à situ recipe, ne nitor ille Juris Romani styliq; forensis injuria temporum penitus obsolescat. Excude semper aliquid novum, quod Praxin forensis adjudet & illustret, nec dubito fore, ut Eruditione & Virtute istâ, qua omnibus TE commendaſti, eximium aliquando in republica locum merearis. Interea Vale & Vive feliciter. Scribebam rapido calamo Jena inter alia negotia forensia ipsis Kal. April. Anno 1672.



THEMIDO Sç; finis, Praxis: est-
que Praxeos
Potior Stylus pars, quem reformat
CURIA.

Maçte ausibus: sic Cujus excolis **STYLUM,**
REICHARDE, PRINCEPS Curiae Te provehat!

L. M. Q. P.

JOH. SCHILTER, Phil.
& V. J. D.

Bon

In dem die erste Treu den Mufen Ihr ge-
schworen/
Ist Euch der Geist erhitzt/und flammet in die Höh/
Bergist sein selbst dabey/und aller schñöden Dün-
ste.

Liebt Themis mit Bestand und alle hohe Künste.
Das weist die schöne Schrift / die den Hymettus
Klee

Noch übertreffen kan / darzu sie Euch erkohren/
Daß Ihr vernünfft' ger Art auf freuen Platz er-
weist /

Was sonst und heute noch an Höfen üblich sey/
Wenn in den weisen Rath man Schrifften hat zu
führen /

Nun recht! fahrt immer fort/ Ihr solt den Nutzen
spüren /

Ihr seyd der Vater-Stadt/ sie bleibt Euch wieder
treu /

Und gibt Euch solchen Lohn/ der Euch recht selig
preiset.


Mit diesen wenigen wolte gegen den Herrn Respondenten
seine Schuldigkeit gebührend ablegen

Jost Melchior von Wittern /
Eqv. Thur.



ULB Halle
005 132 69X


3



WOM







B.I.G.

Farbkarte #13

Prænum. 4

167222 7

AGENTE!
TIONEM

CURIAE,

SU
M ORDINIS,

DE
et Excellentissimo

DERICO Schrötern

Bickerstädt/

no, Consiliario Saxonico,

Juridicæ ac Scabinatus
isimo,

ic PATRONO suo
evenerando,

ISITIONI

HARDUS, Cizens. Misn.

R.
JCTORVM

NO MDC LXXII.

E,
o clo lcc LXXXIIX.

